

Dicastill. n. 215; La Croix, lib. vi, part. i, num. 458.

(44. Ad recitandas horas requiritur intentio aliqua formalis orandi Deum: *Communis, ac certa.* (45. Non requiritur tamen intentio actualis et explicita, sed sufficit virtualis, quia tunc recitatio censetur adhuc moraliter fieri ex antecedenti intentione actuali, et sufficienter tendit in Deum precandum vel laudandum: *Communis ac certa.* (46. Et etiam sufficit intentio implicita, ut si quis intendat colere Deum, satisfacere suo officio, obligationi, intentioni, et ordinationi Ecclesiae, legere, ne peccet, et huiusmodi, quia in his continetur, vel cum his est connexa voluntas orandi; adeoque, etc. *Communis.* (47. Intentio autem mere habitualis et interpretativa non sufficit, quia certum est quod intentio pure habitualis et mere interpretativa non sufficit ad hoc ut recitatio sit actus humanus, qualis debet esse oratio: Sporer, tom. III, tract. Append de Horis Canonic., cap. 2, sect. 1, n. 60; La Croix, lib. iv, n. 1326, et alii passim, contra Gobat, tom. I, tract. 5, n. 738.

(48. Non requiritur expressa intentio recitandi attente et studiose, quia in intentione orandi includitur intentio attendendi ad orationem: *Communis.* (49. Intentio nova vel primae intentionis renovatio non requiritur, si plures horae consequenter recitentur. Neque etiam ea requiritur si fiat interruptio et postea prosecutio horae, quia haec resumptio fit ex imperio et virtute prioris intentionis: *Communis.* (50. Intentio satisfaciendi non requiritur ad recitationem horarum seu ad auditionem sacri, sed sufficit intentio ponendi opus debitum: *Communis,* cum Suarez, Sanchez, Bonacina, Castropal., Dicastill., Gobat, Layman, l. i, tract. 4, cap. 4, num. 7; La Croix loc. cit., n. 1329; Sporer, loc. cit., num. 61. Et ratio est quia praecipitur non obligant ad obedientiam formalem, hoc est; ut aliquid fiat quia praecipitur, sed tantum ad materiale, hoc est ut fiat quod praecipitur. Ecclesia enim in nostro casu solum praecipit recitationem horarum, auditionem Sacri, etc.; nullo autem modo praecipit ut recitentur horae, ut audiatur, sacrum cum intentione satisfaciendi praecipitur. (51. Hinc, qui ignorans esse diem festum libere interfuit sacro, is satisfecit, nec postea intelligens esse diem festum tenetur audire aliam missam, aut tunc elicere intentionem volendi satisfacere per ipsam missam auditam; quia, quamvis non habuerit intentionem implendi praecipitum de auditione missae, ipsam audiendo implevit substantiam actus praecipiti: S. Thomas, Henric., Filiuc., cum Busemb., lib. i, de Legibus, cap. 3, dub. 2; Suarez, disp. 88, in 3; Gobat, l. i, tract. 5, n. 199, et alii passim.

(52. Imo satisfacit praecipito qui recitans horas seu audiens sacrum expresse intendit per illam recitationem seu auditionem non satisfacere, quamvis dicat: « Nolo hac horarum recitatione, huius sacri auditione, satisfacere praecipito Ecclesiae, sed, ut satisfaciam, decerno iterum has horas recitare,

adhuc uni sacro interesse: » Vasquez, tom. II, quaest. 100, cap. 9, n. 5; Suarez, disp. 88, in 3, part. sect. 3, ac rursum fuse, tom. II, de Religion., lib. II, de Festis, cap. 26; Sanchez, lib. i, moral., cap. 13; Bonacina, d. 4, de Sacram., qu. ult. p. 11, n. 23; Palaus, tract. 3, d. 1, p. 17, num. 12. Dicastill., tract. 5, de Euchar. d. num. 66; Lessius, lib. II, cap. 7, dub. 10; Valent., tom. III, disp. 6, qu. 10, in fine; Layman., lib. i, tract. 4, c. 4, n. 7; Gobat, tom. I, tract. 5, n. 201; Busemb., lib. i, de Legibus, cap. 3, dub. 3; La Croix, lib. iv, n. 1330, ubi dicit sic sentire alios communissime; Sporer loc. cit., n. 62; Coninch, Lugo, et alii plurimi, contra Azorium, Navarrum, Medinam, et alios. Et ratio est quia illud dictum: « Nolo hac horarum recitatione..... hac missae auditione satisfacere praecipito Ecclesiae, » est inefficax, continet quippe protestationem contrariam facto, et involvit implicantiam in adjecto; ergo non impedit quominus talis sic dicens revera satisfaciatur obligationi. Probatur antecedens, quia Ecclesia non petit ab illo plusquam ut semel in die recitet horas, et unum sacrum audiat die festo: non enim potest ulla seu lex seu ratio afferri qua probetur eam plus exigere; adeoque si semel recitet, seu unum sacrum audiat, faciet totum id quod ei praecipit Ecclesia, et consequenter etiam si sexcenties dicat, *nolo, nolo satisfacere praecipito Ecclesiae,* revera satisfaciet, sicuti, si fuste cadendo aliquem dicat, *nolo verberare,* nihilominus et verberat, et sentit alter verbera, ut recte dicit doctissimus P. Gobat loc. cit., n. 201.

(53. Nec valet dicere quod actus non operentur ultra intentionem agentis, adeoque, etc. Non valet, inquam, quia id intelligitur quando est in potestate operantis, v. gr., satisfacere, vel non; in nostro autem casu, cum Ecclesia tantum obliget ad substantiam oneris injuncti recitandi horas, audiendi sacrum, etc., illa scilicet recitatione horarum et auditione sacri posita, non est in potestate operantis, scilicet recitantis horas et audientis Sacrum, ut non satisfaciatur, cum reipsa faciat totum id quod est praecipitum: obligatio enim parendi legi provenit ex voluntate legislatoris, ideoque non extenditur ultra ejus intentionem et voluntatem, nempe ultra substantiam operis praecipiti, et in nostro casu, ultra recitationem horarum et auditionem sacri. *Sic supracitati doctores.*

(54. Hinc qui legit horas seu audivit sacrum non ea devotione qua voluisset, ideoque proposuit (sine voto tamen) ad satisfaciendum praecipito repetere recitationem horarum seu auditionem alterius sacri, et si deinde non repetat, satisfecit tamen praecipito. Dicitur autem notanter, *sine voto tamen,* quia si se obligasset repetere sub voto, peccaret mortaliter non stando suo voto, ut notant Gobat loc. cit., n. 203, et alii citati. (55. Advertendum tamen est quod si talis persisteret in falsa persuasionem seu opinione quod non satisfecerit praecipito nisi repeteret, tunc ipse peccaret ratione conscientiae erroneae, nisi vel errorem:

deponeret aut horas canonicas repeteret, vel aliam missam audiret, etc. *Communis,* cum Layman loc. cit., n. 7, in fine, et al. cit.

(56. Adducitur pro complemento tritum quidem, sed notabile dictum a Purchotio relatatum tom. V, part. II, cap. 4, circa finem, videlicet: *Quidquid agant homines, intentio judicat omnes.* Unde Christus, Matth. vi, vers. 23, dixit. *Lucerna corporis tui, id est operis tui, est oculus tuus, scilicet intentio (juxta D. Gregorio, lib. xxxviii, Moral. 3, et alios). Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit; si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosus erit.*

(57. Ad sacramentum valide administrandum satis esse ut minister intentionem habeat serio perficiendi ritum externum qui ab Ecclesia adhibetur, atque ideo, etiamsi suam intentionem retineat, aut interius dicat se nolle facere quod facit Ecclesia, dummodo exterius serio agat, nulloque signo pravam suam voluntatem prodatur, ratum perfectumque sacramentum ab eo perfici, defendit Ambrosius Catharinus in opusculo de Intentione ministri. (58. Ante Catharinum id tenuerant Petrus Cantor, Robertus cardinalis Pullus, Paludanus, Silvester, eumque postea sunt secuti Salmeron., lib. i, Commentar. in Epist., D. Pauli III, part. disp. 2; Joannes Marius Scribonius in summa Theolog., de Sacrament. in genere, quaest. 6 et 7; Vincentius Contensonius in suo Tractat. de Sacrament. in genere; Hyacinthus Serry in Vind. Vind.; Natalis Alexander, Gaspar Jaenin, alique recentiores. Quae opinio licet proprie non coincidat cum sententia Lutheri et Calvini, ut varii contendunt, vix tamen amplius sustineri potest, ut docet Benedict. XIV, de Synodo Diocesana, lib. VII, cap. 4, a n. 6 ad 9, cum negari non possit grave vulnus praefate opinioni indictum fuisse ab Alexandro VIII, per propositionem 28, inter ab ipso damnatas 7 Decemb. 1690, et a me ad id jam adductam superius, num. 22. (59. Unde vult quod in praxi sit omnino servanda, veluti tutior, contraria opinio exigens in ministro intentionem, vel actualem, vel virtuales faciendi non solum ritum externum, sed id quod Christus instituit, seu quod facit Ecclesia. (60. Et si constet quempiam aut baptismum contulisse, aut aliud sacramentum ex iis quae iterari nequeunt administrasse, omni adhibito externo ritu, sed intentione retenta, aut cum deliberata voluntate non faciendi quod facit Ecclesia, urgente quidem necessitate, sit sacramentum iterum sub conditione perficiendum. (61. Si tamen res moram patiatur, Sedis Apostolicae oraculum sit exquirendum absque eo quod episcopus possit suos diocesanos adigere ad unam praeter altera in dictis opinionibus tuendam seu reprobendam, cum haec sit una ex causis majoribus ad solam Sedem Apostolicam deferendis, ut statuit perpetua Ecclesiae consuetudo, confirmata ab Innocentio III, in cap. *Majores* 3 de Baptismo.

APPENDIX

SIVE UBERIOR DE INTENTIONE MINISTRI AD VALOREM SACRAMENTI REQUISITA DECLARATIO.

I. Quae sunt ab auctore in hoc articulo n. 57, exposita, ex opere Benedicti XIV de Synodo Diocesana deprompta sunt. Quo in opere sapientissimus Pontifex duo exponit, primum Ambrosii Catharini aliorumque catholicorum opinionem ab haeresi Ecclesiae auctoritate proscripta omnino dissidere; deinde monet non licere theologis in sacramentorum confectione vel administratione Ambrosii Catharini ac reliquorum istum sequentium opinionem sequi quia in his quae ad salutem et sacramenta pertinent, non licet sequi opinionem probabilem, relicta tutiore, ut ex damnata ab Innocentio XI propositione liquet: tutior vero est opinio quae ad sacramenti valorem exigit ut minister non modo voluntatem habeat externum sacrum ritum perficiendi, sive *externam intentionem* tantum, sed etiam interius animo contendat velle id facere quod Christi Ecclesia facere contendit. Exponendum itaque superest discrimen quod nostrorum theologorum opinionem et damnatam Lutheri aliorumque haereticorum haeresim intercedit; atque verus germanusque sensus opinionis Catharini aliorumque catholicorum, istiusque a communi scholasticorum opinione discrepantia.

II. Circa ministri intentionem credit Lutherus ne eam quidem desiderari quae exteriorem jocum excludat. En ipsius verba, quae habentur lib. de Captivitate Babylonica, cap. de Baptismo. « Non dubitem si quis in nomine Domini suscipiat baptismum; etiamsi huius minister non det in nomine Domini, vere baptizatum esse..... sicut legitur exemplum de quodam mimo per jocum baptizato; » et art. 12, inter proscriptos a Leone X, habet: « Si per impossibile confessus non esset contritus, aut sacerdos non serio, sed joco absolveret; si tamen credat se esse absolutum, verissime est absolutus. » Huiusmodi error ridiculus visus est sequentibus novatoribus, ut patet ex his Kennitii verbis in canonem secundum sess. 7, concilii Tridentini. « Non hoc vult institutio baptismi ut fiat vulgaris aliqua lotio, vel quae ex professo nihil aliud sit, quam ridiculus lus, vel mimica subsannatio, vel profanatio institutionis cum recitatione verborum. » At si novatores constare sibi velint, ac falsis eorum principiis coherentia tradere et praedicare cupiant, huiusmodi haereseos monstrum astruant et tueantur necesse est. Sacramenta enim in horum sententia non ex opere operato gratiam efficiunt ac suscipienti conferunt, sed homines justificant, quatenus animo Christi promissiones exhibent; atque Christi passionem promissionesque in memoriam revocando, fidem in suscipientibus excitant, qua justificantur. Praestare autem haec possunt sacramenta, seu serio seu mimice conferantur; se habent enim sacramenta juxta novato-

rum hæresim instar verbi Dei, quod quantumvis, seu intus, seu exterius perversa ministri voluntas sit, Dei verbum esse non desinit, ac proinde justificare illos valent qui audiunt et consentiant, et si per jocum ab impiis ministris Christi sacramenta adhibeantur. Velint ergo nolintque novatores, ex eorum systemate sit valida esse sacramenta etsi ab ebrio imo et a psittaco. Contra vero catholici omnes, qui etiam cum Catharino sentiunt, unanimi consensu fatentur sacramenta ex iis quæ Christus Dominus pro nostra salute operatus est virtutem habere producendi et conferendi gratiam, atque hanc producere dum a ministris ita conficiantur, ut existimare eos homo possit se gerere veluti Christi ministros et dispensatores mysteriorum Dei, dum sacramenta conficiunt et conferunt. Quo fit ut omnes detestentur impium Lutheri commentum; cum pro Christi ministro et dispensatore mysteriorum Dei haberi et cognosci nequeat, qui id unum curet, ut interius exteriusque Christum Deique mysteria derideat atque subsannet. Vides ergo quam inepte Catharini aliorumque Theologorum opinio a scholasticis nonnullis cum hæresi Lutherana confundatur.

III. Qui intentionem faciendi quod facit Ecclesia, in voluntate ponendi ritum sacrum externum constituunt, eamque sufficere ad sacramenti valorem aiunt, repugnante quoque interiore voluntate, in hanc abiire opinionem, ne viderentur astruere sacramenti valorem a ministri voluntate pendere. Neque enim consonum divinæ bonitati visum hujusmodi theologis est ita sacramenta ministrorum arbitrio et voluntati committere, ut in pravi ministri libertate sit homines beneficio redemptionis per sacramenta applicando, eos salutari gratia privare, quin exterius constet aut constare possit de eorum prava voluntate, qua homines optato salutari effectu frustrantur. Notandum id duximus, ut deinceps mitiores sint vulgares theologin hac reprehendenda et notanda opinione, quæ hæc recta voluntate excogitata et propugnata a tot doctissimis viris fuit. At externæ hujus intentionis defensores circa illius usum invicem dissident. Alii enim eam sufficere credunt pro baptismo, quia baptismus nullum in ministro characterem exigit; non autem pro cæteris sacramentis. Alii eam valere putant pro sacramentis quæ habent in forma actum exercitum, seu per quorum formam exprimitur actum sacramentalem a ministro exerceri; unde sequitur externam intentionem in cæteris quidem sacramentis sufficere non tamen in Eucharistia, quia verba ista: *Hoc est Corpus meum*, nullam prorsus exprimunt actionem ministri; secus de istis: *Ego te baptizo, Te confirmo*, etc. Alii externam intentionem in iis sufficere volunt sacramentis in quibus homo est tantum agens instrumentale, non in iis in quibus est principale agens: unde hujus opinionis defensores matrimonium sine interna intentione validum esse negant, cætera vero sacramenta absque eadem va-

lere opinantur. Alii demum externam intentionem generatim, et pro quibuslibet sacramentis sufficere putant; sed et hi duas in partes scinduntur. Quidam nimirum externam et seriam intentionem ubilibet ad confectionem sacramenti satis esse contendunt; quidam præfracte negant, et sentiunt ministrum, nisi vel in loco sacro præsens sit, vel ad confectionem fuerit invitatus, nihil operari, eo ferme modo quo iudex totam sententiam, etiam contra mentalem intentionem profert, si sedeat pro tribunali; secus, si loquatur e loco ubi iudicis personam gerere non intelligatur: ita Juenin, Serry, alique recentiores non pauci.

IV. Nec pauciores nec ignobiliores theologi sentiunt, et hodie dum sentiunt, internam ad sacramenta valide conficienda requiri intentionem, sed et inter se divisi sunt. Alii nempe dubitarunt an non requireretur intentio finis explicita et particularis seu intentio producendi hunc in specie sacramenti effectum: tales fuerunt ii de quibus loquitur Ebroicensis synodus an. 1576, his verbis: «Antea inter doctos ac pios viros dubitatum fuit an baptismus a calvinistis administratum pro vero credi deberet, quoniam non haberent intentionem baptizandi in remissionem peccatorum.» Alii, ut Scotus, et Gabriel, particularem illam intentionem finis rejicientes, generalem et quidem explicitam intentionem producendi effectum sacramenti tanquam necessariam postularunt. Alii ne hanc quidem potestatem necessariam esse rati, necessariam dixerunt intentionem explicitam conficiendi sacramenti. Alii demum, minime requirentes intentionem explicitam seu producendi effectum Sacramenti, seu etiam conficiendi sacramentum, docuerunt necessariam ac sufficientem esse intentionem faciendi quod facit Ecclesia, seu intentionem qua quis externum ritum sic frequentat, ut nec interius joculari velit, nec ritum hujusmodi materialiter duntaxat, et ut rem mere naturalem aut profanam peragere, sed illum potius formaliter ut ritum Ecclesiæ, vel ut ritum in Ecclesia sacrum celebrare velit, et hæc multo communior fuit hactenus internæ intentionis defensorum opinio. Ita historiam hujus opinionis recenset continuator Tournelii ex Lamberto; Gaud, doctissimo Dominicano, qui de hac re luculentissime scripsit. Ad usum quod spectat dicemus paucis sequentibus numeris.

V. Itaque certum est ad valorem sacramenti non desiderari eam intentionem ministri qua velit explicitè sacramenti effectum producere. Constat id ex Augustino epist. 98, alias 23, quæ est ad Bonifacium, ubi expresse asserit non privari parvulos gratia spirituali «qua ad vitam regenerantur æternam, quia non istis hac intentione sacramenta offeruntur; cum celebrentur per eos necessaria mysteria et verba sacramentorum.» Deinde Ecclesia, nec pelagianos, nec calvinianos iterum baptizat dum in ipsius gremium revertuntur. Imo id quoad Calvinianos expresse vetuit S. Pius V. Nota autem res est antiquos pelagianos ac socinianos,

qui illorum iterum excitaverunt errores, negare baptismum delere originale peccatum, ac conferre gratiam: et calvinianos aliosque hæreticos negare per baptismum imprimi characterem; hi ergo dum baptizant, non ea voluntate baptizant ut velit deleri originalem culpam, conferri gratiam, ac imprimi baptizato characterem. Non est ergo necesse ut minister velit effectum sacramenti.

VI. Neque intentio requiritur explicita, vel conficiendi sacramenti, vel celebrandi ritum externum, ut in se revera et absolute sacrum. Nam Florentina et Tridentina synodus eam tantum in ministro intentionem exposcunt, qua velit facere quod facit Ecclesia; hæc vero intentio in eo quoque est qui licet hunc ritum pro sacramento non habeat, vel pro ritu in se sacro, tamen perficere eum contendit ut Christianæ Ecclesiæ ritum sacramque ipsius cæremoniam. Quamobrem ratus habetur baptismus a gentili, imo et ab Atheo ipso ea voluntate collatus ut facere unice contendat quod in Ecclesia Christianorum fit; at certum est gentilem atheumque nec pro sacramento, nec pro re sacra hujusmodi ritum habere. Ita rem explicat S. Thomas in 4, dist. 6, qu. 1, art. 3, resp. 2, ad primum: «Quamvis ille qui non credit baptismum esse sacramentum aut habere aliquam specialem virtutem, non intendat dum baptizat conferre sacramentum; tamen intendit facere quandoque quod facit Ecclesia, etsi illud reputet nihil esse: et quia Ecclesia aliquid facit, ideo ex consequenti et implicite intendit aliquid facere, quamvis non explicite.» Manifestum ergo est ad valorem sacramenti non requiri intentionem explicitam sacramenti conficiendi, vel celebrandi ritum externum, ut in se revera et absolute sacrum, sed sufficere intentionem faciendi quod facit Ecclesia, hoc est voluntatem usurpandi et celebrandi ritum qui in societate Christianorum pro religioso habetur; quo in casu, juxta traditam a S. Thoma doctrinam, in ministro *ex consequenti et implicite* intentio inest rem sacram faciendi; quia Ecclesia, cujus se ritum usurpare contendit, *aliquid facit*, dum hujusmodi ritum celebrat.

VII. Age vero, videamus modo num ii qui Catharini opinionem tenent, dum serio et attente ritum externum quem facit Ecclesia adhibendum prædicant, quin interior intentio adsit, ea revera adhibeant in sacramento conficiendo quæ supra commemoravimus. Nam rem consideranti et diligenter perpendenti facile apparebit, in ministro illo qui voluntatem habeat serio et attente id perficendi quod facit Ecclesia, nil ex iis deesse quæ ad sacramentum perficiendum necessaria diximus. Jam statuitur hos materiam et formam adhibere; cum vero voluntatem, hoc est intentionem habeant dum illas adhibent faciendi ritum quem Christiana Ecclesia facit, quis non videat habere quoque illam intentionem quæ necessaria sit ad perficiendum sacramentum, ac contrariam interiorem intentionem, qua ex. gr. intra se dicant: *Nolo hominem baptizare*, aut per celebrationem ritus quo baptizant, irritam et inanem

fieri, aut supra effectum cadere sacramenti, hoc est supra gratiam et characterem, ita ut interior illa intentio non baptizandi in hujusmodi ministris, nihil aliud sit nisi voluntas non conferendi characterem, non delendi peccatum, non sanctificandi hominem? At voluntas hæc, ut supra diximus, valeri sacramenti non obest; imo præsumitur hæc voluntas in sociniano et calviniano, quin proinde dubitetur ab Ecclesia de valore baptismi ab iisdem collati. Videant ergo Catharinianæ opinionis adversarii hanc opinionem solo nomine a communi scholasticorum differre. Dicent vero necessarium saltem esse ad valorem sacramenti, «ut minister velit formaliter ut ritum Ecclesiæ, vel ut ritum in Ecclesia sacrum illud celebrare.» Assentior; sed quid inde? Numquid ille qui serio et attente vult externum ritum celebrare quem Christus instituit ejusque Ecclesia facit, non vult illum formaliter ut ritum Ecclesiæ vel ut ritum in Ecclesia sacrum celebrare? Si exteriori apparatu, si exteriori attentione, si seria actione, si cæremoniarum usu, si denique eorum omnium applicatione, quæ fieri Ecclesia jubet dum sacramenta celebrantur, determinatur ad faciendum formaliter sacramentum ut ritum Ecclesiæ, vel ut ritum in Ecclesia sacrum, quis in hujusmodi ministro deesse affirmabit hujusmodi intentionem? Imo actus ipsi quos supra recensimus hanc inesse in ministro voluntatem satis superque demonstrant; cum enim voluntarie ac omnino libere fiant, interiori dirigente voluntate sive intentione, fiant necesse est; et contraria voluntas non nisi in effectum cadere poterit. Reponent fortasse in improbo ministro voluntatem esse posse interiorem aut jocandi, aut rem ut mere naturalem et profanam perficiendi. Sed liberæ illæ operationes quas supra memoravimus hujusmodi voluntatem retractant et excludunt omnino; cum per illas ad rem ut formaliter sacram, et ad ritum ut in Ecclesia Christi sacrum celebrandum, determinari debeat, ac revera determinetur. Quo fit ut quæstio vel de solo nomine sit, vel eo reducat: num scilicet exterior actio deliberate facta interiorem ipsi contrariam actionem necessario excludat aut retractet? Nam in utraque opinione ad valorem sacramenti requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia; in opinione Catharini hæc intentio habetur, dum minister velit serio et attente externum ritum celebrare quem Ecclesia facit, quidquid sit de interna voluntate, quæ tamen ritui per ministrum celebrato contraria esse non potest; in aliorumque vero opinione non requiritur intentio producendi characterem et alios sacramenti effectus, sed voluntas sufficit applicandi res et verba a Christo instituta, quemadmodum in societate Christianorum applicantur, etsi minister non credat virtutem illis inesse quam Christus contulerit. Quamobrem re diligenter exposita, sola voce invicem hujusmodi auctores dissident. Cum vero de valore sacramenti hic agatur, in praxi communior opinio semper tenenda erit, ut initio monuimus.

ADDITIONES CASINENSES.

Circa ministri intentionem in conficiendis ac conferendis sacramentis, nonnulla iis quæ ab auctore et in Appendice ex aliena manu dicta sunt nobis addere liceat.

Et quidem aliquam intentionem, saltem faciendi quod facit Ecclesia in eo (in ministro) requiri, fidei dogma est, Tridentino deficiente in hæc verba: « Si quis dixerit in ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit. » Can. 11, sess. 7. de Sacramentis in genere.

Nec levia sunt rationum momenta quibus hoc fidei dogma firmatur. Sicut enim Christus Dominus sacramentorum Ministros constituit, ita eorumdem (sacramentorum) administrationem *actionem humanam* esse voluit. Actio autem humana esse non potest, nisi ex rationis iudicio et cum voluntatis intentione. Porro actio sacramentalis generatim accepta ad fines varios referri potest: Infans quippe, ut exemplo rem explanemus, aqua potest abluere ad munditiam corporis, ad sanitatem, etc. Quamobrem, ut ablutio sit revera sacramentalis, ad finem baptismi per intentionem abluentis determinetur necesse est. Deinde, quo sacramentum valide confertur, qui illud administrat uti Ecclesie ministrum se gerere debet, proindeque illud animo intendere quod Christus instituit aut facit Ecclesia.

Ex his porro inferitur eum qui jocose ac scurriliter sacramenti ritum celebrat, sacramentum non conficere nec valide administrare. Hinc novatorum error, sacramenta per jocos administrata nihilominus rata esse asserentium, a Concilio Tridentino, cit. can. 11, de Sacrament. in genere, optime merito fuit damnatus.

Nec quemquam movere debet quod Socrates, lib. 1 Hist. Eccles., cap. 15; Sozomenus, lib. 11, cap. 17, et Rufinus, de Alexandro patriarcha Alexandrino tradunt: ei nempe ratum visum fuisse ac validum baptisma ab Athanasio nondum ex puerili ætate emerso, atque cum aliis pueris ludente, collatum. En verba Sozomeni: « Cum omnia (in baptismo collato ab Athanasio) juxta ordinem ecclesiasticum exacte in illis servata esse (Alexander) reprehendisset, communicato consilio cum sacerdotibus quos circa se habebat, censuit non rebaptizandos esse eos, qui in simplicitate divinam gratiam semel recipere meruissent. Reliqua vero, quæ a solis sacerdotibus baptismum tradentibus administrari fas est, in illis supplevit. Athanasium porro aliosque pueros qui in eo ludico presbyterorum aut diaconorum partes egerant, sub divino testimonio, parentibus ipsorum tradidit, quo ipsos ad Ecclesie ministerium educarent, informarentque ad ea officia quæ fuerant imitati. » Loc. cit.

Quamvis enim id ita gestum a supra memoratis scriptoribus ponatur, sat dubiam tamen incertamque ejusmodi narrationem esse, vel potius intra fabellas amandandam, si artem criticam consulas, affirmare non

dubitabis. Et revera ex Hieronymi Chronico constat Alexandrum anno 321 ad Alexandriam sedem fuisse promotum. Porro Athanasius, eodem Sozomeno referente concilio Nicæno, anno 325, jam diaconus ac inter theologos celeberrimus interfuit; et quod magis est, insequenti anno, nimirum 326, Alexandro vita functo, episcopus Alexandrinus est inauguratus. Quod si Alexander Alexandriæ Ecclesie gubernacula suscepit anno 321, et post quinque annos eidem in Patriarchatu Athanasius successit, absolute repugnans videtur quod puerilem ætatem circa illa tempora ageret: maximeque ex eo quod communiter teneant eruditi, eundem ætatis suæ anno trigesimo, prout Ecclesie ferebat disciplina, episcopum fuisse renuntiatum; nec unquam ei ab arianis objectum legamus, ac sic junior episcopatum arripuisset.

Sed etsi Alexandrum anno 313 vel 314 ad sedem Alexandriam evectum esse dicamus, ut PP. Maurinis, ex Eusebio, lib. vii Hist. Eccles., cap. 32, simul cum Gelasio Cizycæno collato, visum fuit attamen Athanasium annum duodevigesimum tunc attingisse oportuit; quæ sane ætas ab illis puerilibus nugis aliena est abhorretque quibus Socrates et Sozomenus ipsum distentum tradiderunt.

Et quamvis factum istud uti certum ponamus, nihil tamen ex eo ad hæreticorum errorem astruendum argui posse vel inde liquet, quod Athanasius, non irrisorie, sed serio baptisma, ritu ab Ecclesia peragi solito, contulerit, nec omnes promiscue pueros, sed duntaxat catechumenos, baptizaverit. Quod si antedicti scriptores asserunt in eo Athanasium lusisse, id significare videntur eundem in re serio confecta, oblectamentum quoddam animi, tanquam extrinsecum finem, sibi proposuisse.

Quamquam vero inter catholicos constet in sacramenti ministro aliquam intentionem requiri, *saltem faciendi quod facit Ecclesia*, de hujus tamen intentionis objecto, seu quid illud sit, ad quod ferri debeat ejusmodi intentio, quam omnes necessarium fatentur, disceptatur. Ambrosius Catharinus, in opusculo de Intentione ministri, contendit ad sacramentum valide administrandum satis esse ut minister intentionem habeat ritum externum qui ab Ecclesia adhibetur serio perficiendi; adeo ut, quamvis suam intentionem retineat, aut interius dicat, *nolo facere quod facit Ecclesia*, dummodo exterius serio agat, nulloque signo pravam suam pandat voluntatem, ratum perfectumque sacramentum ab eo confici, magno rationum apparatu propugnat: quod idem in comitiis Tridentinis videtur sane exposuisse.

Hanc opinionem minime ab eodem concilio damnatam cardinalis Pallavicinus hisce verbis testatur. « Equidem existimo Catharini sententiam falsam esse, sed non ideo per Tridentinos canones diserte damnatam; quapropter fas illi fuit affirmare eam concilio non contradicere. » Hist. Concil. Trident., lib. ix, cap. 6, n. 2.

Et hoc magis constare videbitur, si illud

notaveris, sessionem septimam synodi Tridentinæ, in qua hæreticorum dogma de turpiter ab illis intellecta ministri intentione fuit confessum, anno 1547, sub die 3 Maii, habitam fuisse; cum cæteroque Catharinus opusculum suum de Intentione Ministri prælo mandaverit Romæ 1552. Ac tantum abest ut hujus opusculi causa in aliquam erroris suspensionem venerit, quinimo illud, eodem Pallavicino teste, habemus exploratum, nempe « cum excitata fuisset haud scio quæ litteraria contentio inter Catharinum et S. palatii apostolici magistrum, oppositisque invicem libellis litigaretur, rogatum a legatis (concil. Tridentini) Pontificem palatii sui magistrum moneret ut ab inferenda alteri molestia desisteret, affirmantibus vitam et doctrinam Catharini ab omnibus commendari. Unde conficitur opinionem a Catharino defensam Patribus (Tridentinis) haud suspectas fuisse, nec illis fuisse in animo eas proscribere: secus nunquam commisissent, ut per communes acclamationes ad episcopatum promoveretur; neque is qui tunc synodo legatus præerat (Marcellus cardinalis Cervinus) postea Pontifex Maximus, nobiliori hominem thiara exornasset. » Loc. cit. n. 2.

Hinc porro est cur sanioris iudicii theologi, Catharini opinionem ab hæresis censura vindicando, latum inter illam ac novatorum errorem discrimen intercedere non immerito censeant.

« Negari tamen haud potest, sic Benedictus XIV, grave vulnus præfatæ opinioni inflictum ab Alexandro VIII, a quo, die 7 decembris 1690, hæc inter alias propositio damnata fuit: *Valet baptismus collatus a ministro qui omnem ritum externum formaque*

INTERDICTA.

ARTICULUS I NOVISSIME ADJECTIS.

De Interdictis in genere, et de Interdicto quorum bonorum.

1. Ad possessiones pertinent interdicta. De horum derivatione quidquid sit, vel ab *interdicendo* denominentur, quia *interdicere* est *prohibere*; l. *is cui bonis* 6, ff. de verb. oblig.; l. 1, ff. de curat. furioso et aliis extra minor. dandis, § 1, Inst. b. t. de interdict.; Vinn. inst. lib. iv, tit. 15, § 1, in fin. vers. *Proprie interdicta*, etc.; vel *ab interim*, vel *ab inter duos dicendo dicantur*, Inst. b. t. in princ., et Zoes. in Pand., lib. XLII, tit. 1, de interdictis in princ., illud certum est ex monito imperatoris initio tit. Inst. de interd., quod interdicta antiquitus « erant formæ atque conceptiones verborum quibus prætor aut jubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat: quod tunc maxime fiebat cum de possessione aut quasi possessione inter aliquos contendebatur. » Et quamquam interdictum de itinere actuque privato, de aqua quotidiana et æstiva, de locis sacris et religiosis, proprietatis causam continere intelligantur, ex l. 2, § 2, de interd.; l. 3, § 11, cum §§

FERRAR. IV

baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit, Non intendo facere quod facit Ecclesia. » De Synodo diocæses., lib. vii, cap. 4, n. 8.

Non equidem ignoramus illud quod Invenino et Contensonio visum est, nempe modo allatam propositionem non nisi in sensu hæreticorum fuisse damnatam, cum non sit in illa explicatum utrum minister serio an ludere ritum servet externum.

« Verum, ut hæc res coram Deo se habeat, nulla usque adhuc de ea emanavit expressa Apostolicæ Sedis definitio. Quamvis igitur *communior sit sententia, exigens in ministro intentionem vel actualem vel virtualem faciendi non solum ritum externum, sed id quod Christus instituit seu quod facit Ecclesia*, ET HÆC VELUTI TUTIOR SIT OMNINO SERVANDA IN PRAXI, non est tamen episcopi priorem opinionem reprobare, atque ad hanc posteriorem, etiam theorie tuendam suos diocæsanos adigere. Causas quippe majores difficiliioresque quæstiones fidem aut disciplinam spectantes, ad Apostolicam Sedem esse deferendas statuit perpetua Ecclesie consuetudo, ab Innocentio III, in c. *Majores*, de baptismo, confirmata. Quare si constet quempiam aut baptismum contulisse, aut aliud sacramentum ex iis quæ iterari nequeunt administrasse, omni adhibito externo ritu, sed intentione retenta, aut cum delibata voluntate non faciendi quod facit Ecclesia, urgente quidem necessitate, erit sacramentum iterum sub conditione perficiendum; si tamen res moram patiat, Sedis Apostolicæ oraculum erit exquirendum. » Cit. oper. de Synodo diocæses., l. vii, c. 4, n. 9.

Atque hæc de intentione ministri dicta sunt.

seqq. de itin. actuque priv.; l. 1, § ult., de aqu. quotid. et æstiv., hoc tamen eo sensu accipiendum, ut non possessionis tantum causam singula contineant, sed per consequentiam adjunctam habeant proprietatis causam aut velut proprietatis; quatenus in istis interdictis eum vincere placet qui jus de ejus usu agitur ad se pertinere ostenderit: d. l. 3, § *hoc autem* 13; Donell. ad hunc tit. Cod., num. 6; Tulden. num. 2; Vinn. ad h. princ., num. 2; Huber. prælect. Jur. Rom. lib. iv, tit. 15, sub. num. 1. Et ex his intelligere est quod habet l. 1, § ult., de aq. quotid. et æstiva, quod nimirum hujusmodi interdictis tota finiatur quæstio, tum de possessione, tum etiam de proprietate, quæ sane cæteris distinguuntur, cum sint tantum iudicii preparatoria juxta ea quæ habet Voet. ad Pand. h. t., n. 2; Vinn. loc. sup. cit., qui de eadem prima lege mentionem habet.

2. At veterum hodie interdictorum formulis sublatis, et verborum conceptionibus, per interdicta juxta Huber. prælect. Jur. Rom., l. iv, tit. 15, sub. num. 1, *intelliguntur actiones extraordinariæ quibus in causa veræ vel quasi possessionis inter partes disceptatur*, § ult. h. t., Rubr. de interdict., *sic*